Factum est autem cum senuisset samuel posuit filios suos iudices israel. Fuit que nomen
filii eius primogeniti ioel et nomen secundi abia iudicum in bersabee et non ambulaverunt
filii eius illius in viis eius sed declinaverunt post avaritiam acceperuntque munera ~~et perverte~~
et perverterunt iudicium. Congregati ergo universi maiores natu israel venerunt ad
samuel in ramatha. dixeruntque ei. Ecce tu senuisti et filii tui non ambulant
in viis tuis. Constitue nobis regem ut iudicet nos sicut et universe habent nationes
Displicuitque sermo in oculis samuelis eo quod dixissent. Da nobis regem ut nos iudicet
Et oravit samuel ad dominum. Dixit autem dominus ad samuel. Audi vocem populi in omnibus
que loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt sed me ne regnem super eos iuxta opera omnia
sua que fecerunt a die qua eduxi eos de egypto usque ad diem hanc sicut dereliquerunt me
et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo audi vocem eorum, verumptamen
contestare eos et predic eis ius regis qui regnaturus est super eos. ~~Dixit~~ Dixit
itaque samuel omnia verba domini ad populum qui petierat a se regem et ait. Hoc erit
ius regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet et ponet in curribus suis.
Facietque sibi equites et precursores quadrigarum suarum, et constituet sibi tribunos et centuriones
et aratores agrorum suorum et messores segetum et fabros armorum et curruum suorum. Filias
quoque vestras faciet sibi unguentarias et focarias et panificas. Agros quoque vestros et
vineas vestras et oliveta optima tollet et dabit servis suis. Sed et segetes vestras et vinearum
redditus addecimabit ut det eunuchis et famulis suis. Servos autem vestros et iuvenes
optimos et asinos auferet et ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit
vosque eritis ei servi. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri quem elegistis vobis
Et non exaudiet vobis dominus in die illa quia petistis vobis regem. Noluit autem populus
audire vocem samuelis, sed dixerunt nequaquam. Rex enim erit super nos et erimus nos quoque
sicut omnes gentes et iudicabit nos rex noster. et egredietur ante nos et pugnabit
bella nostra pro nobis. Et audivit samuel omnia verba populi et locutus est ea in
auribus domini. Dixit autem dominus ad samuelem. Audi vocem eorum, et constitue super
eos regem. Et ait samuel ad viros israel. vadat unusquisque in civitatem suam

BIBLIOTHÈQUE IMPÉRIALE MAN.